

Gallici non consueveramus libenter morari in loco, ubi non faceremus utilitatem nostram. Et cum proponeretur sibi articulus iniunctus nobis de hiis, que adversarii noviter proposuerant et in scriptis reddiderant contra honorem Dei, ecclesie, persone sue etc., et diceretur ei, quod hoc fecerant contra providam ordinationem suam, quod adversarii nichil proponerent contra^a personam vestram et prelatorum, baronum et aliorum regni vestri, nos credentes, quod excusaret se, quia proposuerant, et quod magnam displicentiam ostenderet, ut deberet, ipse dixit inter cetera, quod non ordinaverat hoc, excusando quasi expresse adversarios. Et habito recordo trium cardinalium, qui erant cum eo, nobis aliquantulum segregatis ab eo, magis constanter asseruit se non ordinasse, sed bene dixit eis, ne hoc facerent pro una die, quia suo loco et tempore remanebat eis ius salvum, et quod illa die iuxta consilium suum non proposuerant. Si postea in peremptorio, quod eos arctabat, fecerunt, ipse non potuerat nec debuerat eis auferre defensiones eorum in tanto negotio, licet diceret, quod ipsi fecerunt sicut fatui, quia ita proposuerant contra vos, et quod hoc bene dixerat eis. (4) Item cum articulus proponeretur sibi de non descendendo ad tractatum quousque etc. iuxta formam per vos nobis iniunctam, fixit se de hoc nichil intelligere nec quesivit a nobis aliquid de voluntate vestra finali super illo tractatu. (5) Et cum proponeretur sibi articulus regis Alemannie super vista, prout nobis erat iniunctus, nullam mentionem fecit nobis de responsione regis Alemannie nec aliquam displicentiam ostendit nec verbum aliquod dixit, quod sibi displiceret, quia vista facta non erat, sed incepit agredi materiam de Lugduno, sicut alias scripsimus, adiciens, quod multum debebatis cohibere officiales vestros, ne aliquid occuparent de iuribus regis Alemannie, ne inde veniret alicuius dissensionis occasio, quam non credebat eventuram in suo tempore. Et tunc distinxit tria de vobis tempora se vidisse: Primo in quo habebatis pacem vicinorum et omnium obedientiam subiectorum et habundabatis in divitiis, vos et totum regnum vestrum. Secundum tempus, in quo defuerunt omnia. Nunc eratis in tertio tempore: habebatis pacem vicinorum et obedientiam subiectorum, licet regnum vestrum esset vacuatum pecuniis; poteratis tamen infra breve tempus dittari habendo pacem, si officiales vestri contenti vestris iuribus non usurparent aliena. (6) Et tunc nobis dedit exemplum de magno rege

a) Folgt getilgt 'plat' Or.